DISSERTATIO MEDICA

DE


VARIOLARUM INOCULATIONE.

Quam Deo-duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR

Joannes - Baptista Parade, ex urbe Petracorenſis apud Aquitanos, Artium magiſter, & Univerſitatis Medicæ Monſpelienſis jàm-dudum Alumnus, menſe Januarii anni 1791.

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.



MONSPELII,

Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI.

OPTIMO DILECTISSIMOQUE

PATRI SUO,

UNIVERSITATIS MONSPELIENSIS DOCTORI

MEDICO

HAS Medicinæ primitias, in æternum vmoris gratitudinisque monumentum,

Dicat; Vovet; Consecrat

Addictissimus obsequentissimusque
filius
J. B. PARADE.



DISSERTATIO

MEDICA

DE

VARIOLARUM INOCULATIONE.

VARIOLÆ gentibus ferocissimorum ferro tyrannorum formidabiliores quartam hominum partem delerent, ni provida sapiensque natura quibus ab hac peste tueri possumus nobis præbuisset media, hæc ad inoculationem pertinent, quam in hac dissertatione exponere nobis animus est. Ut cum

A

ordine faciamus in plurima dividemus capita, 1°. ætatem magis faventem inoculationi oſtendet, 2°. conſtitutionem ſubjecti, 3°. anni tempeſtatem, 4°. præparationem, 5°. materiam varioloſam inſerendam, 6°. operationem, 7°. denique curationem.

De ætatis tempore.

Infantulos ſextum uſque ad menſem cum ſucceſſu inoculamus, illis tunc nutricis mamma ſit præparatio. Hac ætate præteritâ, tres vel quatuor annos expectet prudens inoculator; etenim conſtat experientia quod ex infantibus quinque ſæpius pereunt tres hujus ætatis morbis (1), ut dentium eruptione, diarrrhæa, colicis, convulſionibus &c.

Ætas variolarum inſertiotioni magis favens incipit ab anno tertio vel quarto uſque ad tridecimum vel quatuordecimum; tunc in hac vita gratiſſima periodo, anima variis non exagitatur cupiditatibus, labore, vigiliis, mœrore, non alteratur conſtitutio, humores dulces, purus ſanguis, tunc vis vitæ ſatis, ut virus varioloſum venas aditurum foras expellatur, textus flexior, laxior, ad huic eruptioni favendum magis videtur idoneus. Quamvis pateat ex dictis, ultimam hancce ætatem ad inoculationem aptiorem eſſe, non arceo provectiorem cum legitima præparatio, tem-

peramenti vitia vel labore, vel libidine, &c., introducta reficere, vel minuere possit. Aliundè constat experientia feliciorem habuisse successum apud seniores invità cutis duritie, invità & etiam corporis debilitate.

De subjecti constitutione.

Constitutionis quam ætatis ad variolarum insertionis aptissimæ electio non minus est momentosa, quoscumque ad perfectioris sanitatis statum accedentes prudens eligat inoculator, illos v. g. quorum sanguis purus, humores blandi, spiritus suavis, cutis tenuis, quorum facilius ad cicatrisationem tendunt vulnera, alvus fluida, somnus quietus, &c. arceat contra quoscumque morbis laborantes, quos augere vel ad dubium finem ducere possunt variolæ. Attendat tamen ad morbos quos (ut eximiè notavit *Tissot*) sanare potest inoculatio, quales sunt qui à fibris relaxatis, spissato sanguine, frigidâ humorum viscositate pendent. Visi sunt & etiam inoculatores qui illam operationem optimo cum successu apud scrophulosos, scrorbuticos, arthriticos tentavere. Adsunt circumstantiæ ubi subjecti morbo quidem expertes inoculationi veniunt recusandi, quales mulieres gravidæ, filiæ mox nubiles, & utræque si menstruorum immineat eruptio; tunc enim naturæ duplici labore detenta, operationibus succumbere

poſſet. Recuſandi & etiam quorum corpus augeſſit maximè ; accretio enim corpus debile evidenter præſtat & cauſis quibuſlibet morbificis ſubigendis impar reddit (*Grimaud*).

De anni tempeſtate.

Non conſentiunt inter ſe inoculatores de anni tempeſtate ad variolarum inſertionem aptiſſima, alii ver & autumnum, alii hiemen volunt, ſed conſtat apud omnes clinicos variolas diſcretas vel confluentes, nunc cum alia febre maritari, nunc cum altera, & (aït *Hippocrates*) vario modo pro vario anni tempore efflorefcere humores.

Ad morbos igitur in variis anni temporibus regnantes cuique attendenti patefient anni tempeſtates ubi cum ſucceſſu inoculari poteſt, nam variolæ periculoſæ ſunt in ratione complicationis, & variat periculum pro periculo febrium illas concomitantium.

Hieme adulto ' vel in vere, ſub aere frigido & ſicco viget diatheſis phlogiſtica, tunc morbi inflammatorii. Cum calor augetur, grandeſcit æſtas, adeſt calidus & ſiccus aër, effloreſcit bilis, quoſlibet humores inquinat, tunc morbi bilioſi. Verſus autumnum pluviæ frequentes flat aura calida & humida, tunc effectus putridi, maligni, &c. tandem ſub aëre frigido & humido,

qui vel finiente autumno, vel incipiente hieme regnat, partim retinetur perſpiratio, morbi vigent pituitoſi, catarrhoſi, verminoſi; quorum apud infantes, ſenes, omnes quoſcumque debiles periculoſa fit complicatio. Ex omnibus quibuſcum complicari poteſt, illius cum febre inflammatoriâ combinatio minus offert periculi. Inde patet duas anni tempeſtates quibus adeſt hæc diatheſis maximè ad inſertionem variolarum idoneas eſſe. Inſuper à veris influxu juxtà generalem naturæ legem ab (*Hippocrate*) obſervatam, motus tonici è centro corporis ad peripheriam effugiunt, quod omnibus morbis ab eruptione cutaneâ ſolvendis favet. Febres gaſtricæ, quæcumque ſit illarum materialis cauſa, peſſimâ indole variolas inducunt, quià motus vitales ad ſtomachum, viſceraque interiora determinando, obſtant variolarum proſpero labori qui in cute præcipuè abſolvi debet.

Attamen proſperis quos habuerunt ſucceſſibus inoculatores, probatum remanet nullam eſſe nec temporis, nec ætatis, epidemiâ varioloſâ lethiferâ regnante, rationem habendam, cum ut aiunt, inoculatione tantum illæ cædes ſunt refrenandæ. Hoc credo variolas inſertas præcipuum habere bonum, quod per eas venenum per cutem inſinuatur, & rectâ viâ ſanguinem adit, vitatâ mixtione ſive bilis, ſive aliorum humorum, excrementorumque in alvi viis redundantium. Si verò

naturâ communicatur variolosa lues, primis viis, & stomacho præsertim summoperè nocere valet, nisceriqve cum diversis humoribus gastrici systematis. (*Grimaud*) Illud scilicet in epidemicis insertioni favere potest, quod nostros ad textum cellularem tunc affectum humores ab operatione determinando, à partibus internis illos revocet, si naturæ viâ eodem tempore infectæ fuissent, quæ tunc viam in textu cellulari haberet paratam.

De præparatione.

Præparatio ad variolarum insertionem ad hoc (ut plurimùm) dirigitur, ut reducatur subjectum ad statum perfectioris sanitatis quoad fieri potest. Haud multi ad hunc accedentes non solùm utilis, sed necessaria ferè semper erit. Quidquam certi stabilire videtur impossibile, propter morborum diversitates quibus vel æstas, vel diathesis, vel sexu, vel temperamentum favent, quæ omnia semper sub oculis debet habere medicus, ut quem sibi proponit finem adipiscatur; nam vel debilis, & delicatior, vel fortis & robustior inoculandus adest (*Gandoger*) primi numerosissimi, restaurante, & corroborante egent diæta quæ gradatim vires augendo illas ad hoc adducat ut crisim sustineant; illos inter repono infantes, qui præterea stomachum viscosis saburris gravatum ob digestivorum organorum debiliatem gerentes, levibus purgantibus,

anthelmenticis, (ſi vermium ſuſpicioni locus) indigent. Secundis fortioribus, robuſtioribus paulatim hic vis vitæ exceſſus auſſerendus, qui ſæpè foret nocivus ; (*Gandoger*) rigida fibra flexibilis reddenda, textus cutis durioris ſiccioris laxandus, omnia denique quibus ad ſtatum inſertioni maximè faventem adduci poſſunt, media veniunt adhibenda ad diatheſim vigentem ſemper attendens, phlogiſticam antiphlogiſticis, bilioſam antibilioſis, &c. impugnare tentabit. Si inoculatus quibuſdam vitiis laboret, ante inſertionem ſpecificis repellantur.

De materie varioloſâ inſerendâ.

Indiſcriminatim apud naturalibus, vel inſertis variolis, diſcretis, vel confluentibus laborantes detrahi poteſt pus varioloſum, cùm confluentes diſcretas, diſcretæ confluentes quotidiè producere videantur. Experientia quidem certum habemus non nullos cum pure deprompto à ſubjectis quibuſdam vitiis tentatis abſque infectione fuiſſe inoculatos; prudens tamen apud variolis diſcretis detentos & eucratos pus eliciat. De puris qualitate diſſentiunt auctores, illi pus ſeroſum, recens, iſti pus elaboratum, craſſum expoſtulant. Pus ſeroſum majori activitate donatum, pure maturo majorem ciet inflammationem; peritus inde medicus caſus ubi inflammatio utilis vel damnoſa bene dignoſcens, iſtud vel illud pro neceſſitate adhibebit.

De operatione.

Omnes inter methodos ad virus variolofum fanguinem introducendum adhibitas, punctura minora affert incommoda, itaque generatim ab omnibus inoculatoribus eft complexa. Vulgò futoniana inventoris nomine vocatur; modo fequenti peragitur; fcalpelli apex in puftulâ variolosâ vel ingoffipii lanugine pure recenti imbutâ (2) mergitur, dein cum eodem fcalpelli apice, pure variolofo tincto in brachii loco ubi aperiuntur cauteria pungitur. Punctura fub cuticulâ falva cute penetrans fiat obliquè ut ter quater-ve fcalpellum undequaque movendo, cutem inter & cuticulam pus maneat variolofum, comprimatur & etiam cuticula poft egreffum fcalpellum, ut cum cute jungatur. Quæ per fex vel feptem primos dies obveniunt fymptomata parti affectæ propria funt, primam ex quatuor quas regulares inoculatæ variolæ percurrunt periodum efformant. Secundâ operationis die in loco puncturæ macula levis pulicis morfuræ haud abfimilis cernitur; tertiâ die extenditur macula, & per levem tactui offert afperitatem; quartâ inflatur puncturâ veficæ formam induit, quidam fentitur pruitus, levi inflammatione via tentatur vulneris; omnes quintâ die augefcunt mutationes; fextâ rigiditas dolor fub axillis præfertim cum vi quadam movetur brachium; pars puncta oculo lentis ope veram offert puftulam cujus centrum eft punctura, & multis fæpiùs parvulis papulis circumdata variolofis; feptimâ die hæc varia apparent figna, &

oculo nudo fiunt ſenſibilia. Hìc finis primæ periodi, hìc initium ſecundæ invaſione febris notatum. Symptomata generaliora quæ illam concomitantur ſunt tumor, & decoloratio faciei, anxietas generalis, profunda triſtitia, capitis gravedines, lumborum & extremitatum dolores, multa alia ſymptomata quæ præcipuè ſecundâ die febris apparent, & quæ pro diverſitate conſtitutionis, ætatis, ſexus, &c. variantia, effugiunt vel per, vel poſt papularum eruptionem, quæ tertiam facit periodum; deniquè venit quarta & ultima, ſub illâ fit puſtularum ſuppuratio & deſſicatio, febris quam ſecundariam vocant accendi poteſt ſi papulis numeroſiſſimis tentetur inoculatus, quod rarius in inoculatione.

In variolarum inſertarum periodis adeſſe poſſunt varias irregularitates, quæ medicum ancipitem metu percutere poſſunt; induas claſſes dividendæ veniunt, ſcilicet: in variolas veras vel non recidivas, & in variolas ſpurias vel recidivas. Priores ſunt, quæ vel lento, vel celeri curſu; attamen rectè quatuor ſtadia decurrunt: quæ eryſipelatis ritu erumpunt: quæ ſola eruptione ſive localia, ſive generali gaudentes, febre ſtipantur: quæ inexpletè ſuppurant, aut diu per vulnuſcula artificialia. Poſteriores ſunt, quæ omni effectu defraudantur: quæ aliquid morboſi tantùm in partibus inciſis, nihil verò in totâ corporis habitudine offerunt: quæ vulnuſculum artificialium inflammatione, & eruptione generali abſentibus, febre eruptivâ gau-

dent : quæ etiamſi vulnuſcula artificiaalia inflammentur, etiamſi febris adſit eruptione carent.

De ratione medendi quæ apud inoculatos ſervanda eſt.

Ad variolarum curationem adhibenda remedia debent eſſe ſimpliciſſima, cùm nullo terribili ſtipentur ſymptomate (3) per morbi curſum legitimâ diætâ, cibis diluentibus, levibus refrigerantibus utatur inoculatus ; alimenta éi convenientia ſunt cremores orizæ vel avenæ, juſcula, &c. frùctus maturi, vel crudi, vel cocti dentur ei pro potu aſſueto, refrigeranti, diluentia, mucilaginoſa, aqua v. g. hordei aqua pura, vel cum lacte mixta, ſaccharo edulcorata, &c. ſi alvus ſtrictior eſt, levis tamarindi, vel prunorum decoctio, aut ſalia neutra præſcribenda ſunt. Liquores ſpirituoſi, omnes potiones fermentatæ arceantur.

Pluribus ac ante operationem veſtimentis non cooperiatur inoculatus, cubiculum ubi aër continuò renovatur habitet (4) nam præter damnum aêris mephitici in cubiculo clauſo, & calefacto, miaſmata varioloſa quæ continuò ab ægri corpore effugiunt, ab illo deglutita, & reſpirata morbi pericula poſſunt augeſcere inoculatum quam maximè poterunt à lectulo arcentes omnes in hoc reponent curas parentes, ut ambulet, ſaltet, ſuæ

ætatis voluptates captans, morbi & etiam fiat immemor. hujufce opufculi errorum immemores patres confcripti, huic-ce differtationi indulgeatis, non gloria defiderio, fed neceffitate, fed officio coactus, illam peragere tentavi.

FINIS.

NOTES.

(1) Tabulam de vitæ probabilitate in eximio opere celeberrimi de *Buffon* allatam.

(2) Pus recens & pus diutius efferatum activitati valdè diversa gaudere, nullus est qui non percipiat.

(3) Nisi fiat cum aliis morbis implicatio & ni quædam ex aberrationibus mox à me memoratis variolas in decursu perturbent, tum pro ratione morborum aberrationumque varia veniunt usurpanda remedia, multoque severius regimen ægro præscribendum.

(4) Neque tamen Anglico mori sine cautelâ indulgendum : caveamus præsertim ab immani borea, gelidisque potionibus, nam debiliora, tenerioraque nostra cæderentur temperamenta ; aër verò moderatè frigidus, gratèque frigida pocula mihi videtur palmam præripere.



ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Universitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.